

8
DELICIARUM.
EPISTOLICARUM
FESTIVALIUM

Exercitatio Octava

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Rectore Gymnasij Hallensis

Respondente

HEINRICO REISINGIO

Schlaiza - Varisco

In

FESTO MATTHIÆ,


CIO. DC. XLIIII.

HALLIS - SAXONUM.

Typis Christophori Salfeldi.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its light color and the texture of the paper.





EPISTOLÆ

IN
FESTO MATTHIÆ
ANALYSIS

Actor: 1. à vers. 15. usq. ad finem.

THESIS I.



*Erba sunt Petri 2. Cap. 2. v. 4.
Si DEUS angelis peccantibus
non pepercit, sed vinculis in-
ferni detractos in tartarum tra-
didit cruciandos, ut percipiant*

*mercedem injustitiz, multò minus parsit Ju-
da. Nam fuit ille dux ligantium Jesum: Imò
etiam vendidit ipsum. Et propterea crepuit &
effudit viscera, Episcopatumq. ejus accepit alter.*

*2. Ille alter verò fuit Matthias; de cu-
jus agitur in præsentì Epistola electione: In
qua habentur partim dicta, partim facta. Cir-
ca dicta occurrit tum occasio ut in Petri &*

aliorum congregatione v. 15. In quo circumstantia, tempus quod factum in diebus illis, nempe qua inter ascensionem Christi ad caelos & Pentecosten intercedebant, dum unanimiter orabant & expectabant donum S. Sancti juxta praeceptum Christi: Nec enim quippiam vult negligi, ut certi simus in rebus fidei. Spatium vero fuit decem dierum, uti constat ex cap. 1. v. 4. & cap. 2. v. 1.

3. Et modus, qui continetur primario in discipulis cujus antecedens, ubi forma ex illis exsurrexit: Vel quod revera juxta corporis situm in medio reliquorum steterit, uti solent docentes. Quamvis & Christus sedens docuerit, Matth. 5, 1. Marc. 4, 1. Luc. 5, 3. Job. 8, 2. quod ad dignitatem magisterij pertinet. August: de sermone Domini lib. 1. Anastasius. Unde & Cathedra à sedendo nomen habet. Ambrosius idem in cap. 14. 1. ad Corinth. Vel juxta Scripturae Phrasin; secundum quam exsurgere dicuntur, qui reliquis tacentibus in sermonem prorumpunt. Alij addunt Petrum propterea ipsum etiam resurrexisse, quia prius negando fuerat lapsus.

4. Et Persona, quod Petrus, ut qui ardore Christi fervens & ad respondendum & ad faciendum paratissimus secundum Cyrill: lib.

12. in Joh. c. 64. vel ob ardentissimam fidem
Hieronym: in c. 14. Matth. vel ob fiduciam,
Crysoft: in cap. 2. Gal. vel propter charitatem
in fratres Theophyl: in cap. 6. Johan: vel
propter ordinem & etatem Cassianus lib. 3. de
incarnatione Domini, vel propter primum
sedendi locum Chrysoft. hom. 3. in Act: Sed
non αὐθεντικῶς, uti addit Chrysoft.

5. Consequens est quod factum in medio
discipulorum, ut ab omnibus exaudiri potuerit,
quemadmodum & Christus resuscitatus stetit in
medio discipulorum pacem eis precans Joh. 20.
v. 2. Non ut imperaret, sed ut peroraret.

6. Et effectus, quod dixit. Erat e-
nim Apostolorum aliorum, orator, & qua-
si os, ut si quid vel publicè dicendum, vel re-
spondendum ipse perageret. Quod tamen potius
est ministerij quam magisterij; uti & os Moysis,
Aaron, qui illi tamen in DEUM. Et Diaconi
jubentur ab Ignatio os Christi esse; qui ve-
rò non Domini: siquidem quod Cyprianus ha-
bet lib. Imp. præl: hoc fuit Petrus, quod &
ceteri Apostoli pari præditi consortio honoris &
dignitatis. Unde & cum Johanne mittitur in Sa-
maria Act. 8, 14. vocat se συμπρεσβύτερον 1. Petr.
5, 1. Alias enim approbasset Christus prima-

rum quem improbavit in discipulis Matth. 18.
20. Sed & ut constaret posteritati illum serio re-
stitutum in munus Apostolicum. Nec solum à
Christo acceptum in gratiam Job. 21. Sed A-
postolis etiam ad plenum reconciliatum: Adeo
ut de doctrina ejus nemo potuerit dubitare. Et
ne personis quid tribuatur: Si enim Jacobus
frater Domini orandi partes accepisset, aut Jo-
hannes Christo charissimus, res videri potuisset
non invidia carere, quasi sanguine proximi, vel
affectu conjunctissimi partes domini affecta-
rent

7. Secundario in cæteris; ubi nume-
rus, quod fuerit turba ferè centum viginti:
Quorum aliqui in v. 13. & 14. nominatim ex-
primuntur. Nam quingenti illi, quibus visus
Dominus 1. Cor. 15. v. 6. mansere bona ex
parte in Galilea cum inibi visio facta. Particu-
la verò ferè additur secundum consuetudinem
numerantium, non quod Spiritus de numero
dubitaverit uti habet Lyra. Et sic pauci cum
quibusdam aliis in Galilea remanentibus consti-
tuebant tum Christi Ecclesiam ex Matth. 7, 13.
er atq; sanctum semen, ex quo deinceps Catholi-
ca per totam terrarum orbem Ecclesia plantata
in signi spiritus incremento fuit, atq; ita imple-
tura

18.
re-
um à
d. A.
Adeo
Et
obm
Jo-
siffet
vel
da-
me-
nti:
ex-
isus
ex
scu-
m-
vero
um
stia
13.
oli-
ata
le-
ura

tum, quod Esa: 60. v. 22. prædicitur & 61. v.
11. Dicuntur autem nomina, quia nomina-
tim recessita, uti & loquitur Johannes Apocal.
3. v. 4. 11. 13. in eodem loco, seu in idem congre-
gati, uti Seneca loquitur lib. 2. de benef. c. 29.

8. Et in narratione, quæ tractat par-
tim de impio antecessore, cujus rei anteces-
soria in Judæ denotatione v. 16. In quo
præmittitur benivolentia captatio à statu,
dum nominat viros, quos alloquitur, quia ex
iis eligendus Apostolus. Placuit enim DEO or-
dinarie viris uti in ministerio, quia mulieres
tacere debent & discere 1. Tim. 2. v. 11. 1. Corin.
14. 34. Pudor enim fœminas prohibet à pub-
lico & infirmitas à periculo. Ordinarie dico
quum domi æquè possint & debeant privata ex-
hortatione & bono vita exemplo liberos in pie-
tate edificare, ut fecit mater & avia Timoth.
2. Timoth. 1. v. 4. Et s. Prophetico Spiritu in-
structa, ut Mirjam Exod. 15. v. 20. Hanna 1.
Sam 2. 1. Debora Jud. 5. Hulda 2. Reg. 22. 14.
filia Philippi Act 21. v. 9.

9. Et ab affectu, dum nominat fratres,
propter concordiam servandam & constantiam
præstandam in professione doctrine Christi; pro-
pter modestiam ne videretur affectasse primatū.
Sunt alias quinque fratrum genera secundum.

Hieronym: 1. naturâ, 2. affectu, 3. cognatione ex eadem familia ut Lotb & Abraham Gen. 13. 4. Gente, sic omnes Judei Deut. 15. 5. Societate 1. Reg. 20.

10. Et exponitur tum Prophetia, in qua in genere conditio, quod oportuerit impleri scripturam, quia certitudo S. sacre tanta est, ut sive de premiis, sive de pœnis concionetur nihil desiderari debeat: uti & omnia vaticinia V. T. in N. T. abundè adimpleta ubiq; leguntur. Unde & colligitur esse Scripturam verbum DEI, siquidem in aliis vaticiniis idem non deprehenditur. Non autem propterea oportuit hoc impleri quasi DEUS causa & peccati autor exinde colligatur. Prædixit enim, quia prævidit, non prædixit ut fieret. Veritas contra & omniscientia DEI exinde concluditur, non peccati causa, quo respectu etiam omnium impiorum damnationem prædixit. 2. Thes. 1. 7. 8. uti & habetur Hos 13. 9.

11. Et causa efficiens, tum principalis, quod sit adimpleta Scriptura, quam prædixit S. Sanctus. Acti enim à Spiritu locuti sunt homines uti habetur 2. Petri 1. v. ult. tum Instrumentalis & est os Davidis, quod desumitur ex 2. Sam 23. v. 1. Atq; ita est insigne Psalterij Davidici Encomium.

12. In specie habetur objectum de Juda
nempe Ischariote, quia et alius fuit, qui dicitur
Thaddaeus Job. 14. 22. Iste vero Ischariotes ab ur-
be Isch Kerioth id est vir Kerioth seu Keriothi-
tes ab urbe in tribu Juda, cujus mentio Jos. 15.
25. In Syro dicitur Sechariuta, uti & in qui-
busdā exemplaribus Graecis Scariotes legitur, &
quingvies in Johanne ἀπὸ καριῶθ Chryso-
st. inquit hom. 23. in Matth. à patria denomi-
natum. Quamvis Syrorum litera non conveni-
ant, unde à secar quod jugulare significat di-
ctus videtur: Nam alias nullus in catalago di-
scipulorum à patria dicitur. Hic describitur ab
effectu quod dux fuerit, non uti esse debuit ho-
minibus ad salutem eternam, veluti ad hoc i-
psum vocatus erat à Christo, sed dux viae, uti
Graeca vox innuit, comprehendentium Jesum,
cui constat ex historia Passionis: id quod ortum
ex avaritia, unde recte ista vocatur à Paulora-
dix & fons omnium malorum. 1. Tim. 6. v. 10.

13. Et in conditione v. 7. in quo ejus
vocatio, quod cooptatus fuerit una cum a-
liis. ubi quia pro quamvis ponitur quemadmo-
dum etiam aliis in locis ita usurpatur, ut Gen.
8. v. 21. Luc. 23. v. 40. Cooptatus autem erat,
quia in sancto Apostolatus munere constitutus;

A 5

Quod

Quod manus est excellentissimum inter homines, quippe immediatè vocati sunt Apostoli 2. ministerium habent nullis limitibus terminatum. 3. Testimonium quòd errare nò possint Marc. 16. 20. unde & dicuntur secundarium fundamentum Ecclesie Eph. 2. 20. Christus primarium: & est Apostolatus nihil aliud quàm catholicus Episcopatus Et administratio quod sorte electus fuerit in partem ministerii, ut esset legatus Christi in predicando Evangelio. Ita ergo omnino non omnes in sancto ministerio constituti DEO sunt probati, quia multi Iudei socii, avaritia nimirum dediti, uti conqueritur Paulus Philipp. 3. v. 8. 9. Inde electio ad Chartam, non est electio ad vitam: Et inter pios etiam reprobi, sic Cham in arca, Achitophel in aula.

14. Consequentia sunt tum in ipsius trucidatione v. 18. in quo causa, quod acquisiverit agrum ex mercede iniquitatis. Qualis ergo labor, talis etiam merces laboris. Ubi verbum acquisivit de occasione intelligendum, id est occasio exitus acquisitionis, ut spectetur non consilium, sed eventus. Sic apud Platonem $\alpha\lambda\lambda\alpha\ \delta\alpha\iota\ \sigma\upsilon\mu\phi\omicron\rho\omicron\alpha\upsilon$ legitur. Postquam nimirum mercedem iniquitatis 30. argenteos in templum projecit, uti & alias usurpatur Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 7. v. 16. unde propriè ager intelligendus est.

est, non Metaphoricè, uti Rabanus voluit in
hoc loco, ac si amissa terra viventium ager mor-
tis aeternam sceleris memoriam possederit. Sic su-
is artibus perducuntur impii Ps. 7, 14.

15. Effectus, tum quod suspensus crepu-
erit medius, dum nimirum vitam laqueo fini-
re ex desperatione voluit, iusto DEI iudicio fa-
ctum, ut laqueo rupto ipse deciderit in saxum
vel lignum acutum & ventrem ruperit. Nec
enim vivus mansit, uti ex Papia quidam tra-
dunt, ut à curren elisus sit. Atq; ita vox $\pi\epsilon\tau\epsilon\iota$
 $\nu\omicron\sigma$ Sap. 4. v. 19. usurpatur. Uti & Syrus
annotavit, & Arabs & Augustinus l. 1, contra
Felicem c. 4. & 5. legit: Pœna scilicet adulteræ
Num. 5. v. 22. Nam conveniens erat ut spiritua-
lis adulter & proditor Messie etiam venter intus-
mesceret & rumperetur.

16. Tum quod effusa sint omnia viscera
ejus; quia viscera misericordie exercere nolue-
rat. Ps. 109. v. 16. justè viscera ventris effu-
dit. Ita pœna corporali affectus spectaculum
esse debuit aliis, & exemplum omnibus prodito-
ribus. Multa hic sunt & manifesta ultionis di-
vine indicia. Nam si maxime quis suspendio
animam intercludat, non tamen crepat medius;
Et si crepat, tamen non effundit viscera; Et si

ef.

effundit non tamen omnia, ut quæ ita arctissimis
ligamentis annexa, ut non sine miraculo fieri
potuerit.

17. Et in probatione, de cuius testifica-
tione v. 19. in quo de personis testatur, quod
innotuerit omnibus habitantibus in Jerusalem,
qui omnes de o eloqui poterant tanquã de notorio
planè, quod negari non potest, nec ab ipsis etiam
acerrimis hostibus Christi Judeis.

18. Et de rebus, ubi appellatio, quod
appelletur ager lingvâ vernacula, id est, He-
brao-Syra, quia Hierosolymitani propriam
Dialectum habebant, uti ex Matth. 26. 73.
constat, Akeldama: & interpretatio quod sit a-
ger sanguinis; quia pecunia sanguinis, hoc est
Christi proditi emtus est, uti constat Matth. 27.
p. 3.

19. Et de allegatione v. 20. In quo lo-
cus, quod scriptum sit in libro Psalmorum.
Solec enim ut plurimum probari ex vaticiniis
Davidicis, quod de Christo predictum ab Evan-
gelistis. Sic ergo secundum scripturas omnia
sunt faciendã.

20. Textus, qui partim ex Psalmo 69 v.
20. In quo Spiritus S. introducit Christum con-
querentem de crudelitate eorum, qui ipsum
prodiderunt & crucifixerunt; quibus imprecã-
tur

per perpetuam desolationem, & omnimodam
destructionem. Quod quidem generaliter
de iudeis & aliis hostibus Christi dictam est,
specialiter tamen recte ad Iudam accommoda-
tur, ut qui dux eorum, qui comprehenderunt eum.
David Typus Christi fuit. Nec enim fuit quispi-
am ex eis liberis, nepotibus aut cognatis succes-
sor ejus.

21. Partim ex Psalmo 109. v. 8. quod
Episcopatum ejus accipiat alter: quia suc-
cessor erat eligendus, nempe Judas abiens in Ge-
bennam conversationem deseruit, & accipienti
alium locum summa Apostolici muneris desti-
nata est. Per Episcopatum inspectionem intelli-
git Num: 3. v. 32. Et quod de Doego David id
& de isto, qui aequè talis, dicitur.

22. Partim de pio successore, de ejus cō-
firmatione seu denominatione v. 21. in quo ha-
bentur consequentia quod oportuerit vi antece-
dentiū rationū, quia numerus debeat esse integer
propter typū, propter iribus, propter nomina, fieri
ut alius eligeretur. Et forma quoad qualitatem
quod debeat esse ex iis viris, qui versati una.
Non ergo voluit novitium aliquem & peregri-
num, sed cujus mores ex conversatione essent no-
ti. Ergo haec pueros voluit, dum viros nomina-
vit, quia prudentia pueris rarior inest; nec par
est.

est tam adultam sponsam dare minorenni, ut
monet Chrysoſt: Hom. 3. Et quia familiares
operat non ignotos.

23. Quoad quantitatem quod conversa-
tus debeat esse eo toto tempore, quo Dominus
JESUS ingressus & egressus, id est ut sit talis, qui
αὐτοῦ πῶς & αὐτοῦ χρόνος per bonum temporis
spacium fuerit: ut scientia adsit, quo aliis etiam
certitudinem salutis prestare possit. Ingressi au-
tem & egressi, nil aliud est quam publicum mu-
nus uti legitur formula illa Deut: 31. v. 20
2. Paralip. 1 v. 10. 61. 1. 2. Act: 10, 37. admi-
nistrare; quamvis & ad privata officia pertineat
ut Deut: 28, 6. Ps. 121, 3. Job: 10, 9. ostendi-
turq; familiaritas Christi & nostra libertas, uti
ipse innuit, Job. 10, 19.

24. Et in officij præstatione v. 22. in quo
modus conversationis, nempe qui exorsus est
Baptismo Johannis, qui est terminus à quo, dum
Johannes Baptista incepit docere & baptizare
Christum Matth: 3, Et terminus ad quem,
usq; diem assumtus: hoc est usq; ad ascensionem.

25. Et Scopus, tum ut constituatur u-
nus: Quia numerus duodenarius apud judeos,
sicut septenarius apud Romanos, solennis erat,
in testimonis ferendis de rebus publicis & gra-
vibus. Ideo Christus elegit 12. Apostolos, qui
publici & legitimi testes essent.

25.

26. Tum ut esset resurrectionis Christi testis, Non privatus, quales fuerunt & alij discipuli, Luc. 10. v. 1. qui procul dubio inter illos 120. fuere, sed publicus. Resurrectionis autem fecit mentionem, quia hac 1. maxime controversa erat Judaeis & gentibus persuadenda 2. quia praesupponit reliqua 3. quia totius spei nostrae fundamentum, & 4. quia divinitatis Christi argumentum Rom. 1. 4.

27. Facta consistunt in deliberatione, cujus praeparatio in praesentatione v. 23. in quo conjunctum, quod statuerint duos. Male ergo legit Augustinus lib. contra Felicem 1. c. 4. & 5. Statuit, ac si solus Petrus statuisset; quum tamen & Syrus & Arabs in plurali legant. Fuit enim inter Apostolos non graduum, sed ordinis tantum distinctio. Et si enim unus sufficere poterat, ob unicum Apostoli vacantem locum, tamen iudicium DEI immediatum ut interveniret, necesse erat. Res ad eum modum fuit instituenda, ut omnibus constaret, non tam hominum suffragio, quam DEI arbitriorem peractam. Pares enim erant pietate & doctrina.

28. Distinctum quod tum fuerit Joseph qui vocatur Barrabas; Quis vero ille fuerit, alias non notatur in sacris. Alij quidem arbitrantur esse

esse illum, qui & nominatur Josus Act. 4. 36.
Quia verò una denominatus oportuit eum fuisse
pium & aptum, ut qui & cognominatus justus,
quod Latinum non Hebraicum uti Glossa voluit,
Et hujus laudem addidit, ne praterito insimula-
re alicujus culpe videretur. Matthiam non
laudavit, quia ipsum electio probavit.

29. Tum Matthias donum illud DEI, ut
ti vox sonat, subjective, quia ipsi data est à
DEO Gratia Apostolatus Rom. 1. v. 5. & ob-
jective quia ipse etiam insigne fuit donum à
DEO mundo datum ad ejus salutem. Ergo de-
nominandi sunt justus, & qui verè donum DEI di-
ci queant.

30. Et in prece, cujus causa in DEI
cordium scrutatione v, 24. In quo in gene-
re, quod precati sint. Ita omnino in tam
ardua re diligenter est faciendum, quum pro-
pter omissas preces non feliciter eveniat ministro-
rum vocatio. Ergo non currendum, sed peten-
dum; non aliis illicitis modis ambiendum officii-
um, & involandum, sed orandum. Id quod
ab Ecclesia potissimum faciendum, quæ desiderat
fidelem ministrum. Ita oravit ipse Dominus
Luc. 6, 12. Apostolos electurus pernoctavit in
oratione. Item Saulus & Barnabas Act. 13. 3.

31. In specie forma, quæ ostendit objectum
dum

36. *Dum invocant Dominum. Et quidem non a-*
lium, nisi scrutatorem cordium. Et ratio con-
sequentia est quare talem invocent quia homines
externam tantum speciem intuentur, Deus ille
novit corda & probat renes.

32. *Et effectum, ut ostendat, id est, de-*
claret Luc. 10. 1, utrum elegerit ex his duo-
bus. Ut qui magis quis idoneus novit propter
dona, quae unicuique pro arbitrio distribuit ad-
functionem, non ad justificationem: Et quia in
eo nulla est apud DEUM personarum electio, sed
placent illi omnes, qui timent ipsum & faciunt
justitiam ut D. Petrus inquit Act. 1. 30.

33. *Finis in Apostolatus administrati-*
one v. 26. in quo universaliter ut accipiat tum
statum, nempe sortem ministerii hujus per
quam Metonymicè pars, quae sorte obtingit, sum-
ta similitudine à dividenda hereditate, in qua
sortium est usus, intelligitur; non de herede Ju-
dae, sed de particeps huius ministerii, quum &
de Juda idem vocabulum ante habeat.

34. *Tum Apostolatum quippe in Aposto-*
li Judae locum erat eligendus. Aliud enim est
Apostolum esse, ut qui nulli certo loco est adstri-
ctus, cum jussi sint ire in mundum universum,
Matth 28, 19. & Marc. 16, 15. aliud ministerium.

35. *Specialiter describitur locus, quod il-*
le

lesis unde pravaricatus exiit Judas ut abiret
in locum suum. Pravaricari autem est desere-
re suam vocationem & quasi apostatam fieri,
seu errare, qui propterea abiit in locum suum ad
quem omnes tales: non uti quidam voluit, quod
sepultus in cœmiterium, quod locus communis,
sed quod in infernum, ex Apocal. 21, 13.

36. Et in ordinatione v. 26. in quo An-
tecedens quod jecerint sortes; quia ut loqui-
tur Chrysoft. Hom. 3. si apud Jonam, ubi nec
erat deprecatio, nec viri probi, tamen valuit
fors, multo magis hic potissimum; qui perusitata
erat tum temporis fors. Non verò erat fors di-
vinatoria, de faciendis, quæ est illicita, quia est
vel superstitiosa, vel impia, vel fortuita talis; sed
divisoria de rebus dividendis Iosue 15. 18. 20.
in eligendis 1. Sam. 10. dum mittebantur in si-
num Prov. 16. 33. Solebant enim sortes in va-
ria conjicere, ut in galeam apud Homerum
Iliad. H. in Siulam apud Plautum in Casin,
in Hydram apud Cic. in 4. Ter. in urnam, Virg.
l. 6. Æneid: Sed à Domino temperabatur, vel
ut Ebraei legunt, exhibat illarum iudicium. Et dido-
vae pro Jitso dæponitur sic ut loquitur Euri-
pides.

37. Consequens tum quod ceciderit
super Matthiam. Et sic DEUS hoc iudicio ma-
nifestò

manifesto declaravit Matthiam divinitus esse vocatum & electum Apostolum.

38. Tum quod cooptatus ad numerum undecim Apostolorum id est communibus suffragiis. Ut omnium presentium denotaretur consensus quod pari cum ceteris autoritate & potestate publice declaratus sit duodecimus Apostolus. Propterea monemur, ut prescitu & consensu libero omnium, quorum interest, negotium vocationis & constitutionis ministrorum DEI peragatur.

NOTÆ.

I. Exurgens dixit Petrus) Considera si aliquid proponendum, in medium prodeundum ut audiatur ab omnibus: ut discas ita dicere, quò & alius audiat & intelligat.

II. Ex iis viris, qui nobiscum conversati sunt) Considera Petrum voluisse notum virum surrogare Iudæ, ut discas notos & aplos ad officia vocandos esse.

III. Facta prece dixerunt) Considera, ipsos Apostolos DEUM orasse, ut eligeret ministrum successorem: ut discas ante vocationem DEUM orare, quo operarios in Ecclesiam suam dignos mittat.

B 2

QUÆS.

QUÆSTIO PHILOLOGICA

Ex Evangelio.

I.

An articuli Græcorum habeant Vocativum?

Opinatur quidam ex recentioribus omninè affirmandum esse hoc ipsum, cum imperativi inveniantur cum nominibus & articulis constructi, ut qui aliis nominativum non admittunt, exempla etiam allegat. Verum vel ex hoc textu Matth. 11. 26. observari potest articulum quidem positum esse, sed non cum Vocativo, sed cum Nominativo, in significatione vocativi: ita ut Nominativus sit positus pro Vocativo. Nec enim ex significatione; sed ex terminatione dijudicatur casus. Deinde Atticismus est ut qui Vocativum ubiq; similem faciunt Nominativo, Nominativumq; pro Vocativo ponunt, quod & faciunt Aoles & Bœotii. Tertio solent etiam Ebraei suo illo he uti pro vocativo casu. Et uti hoc loco ὁ πατήρ dicitur: ita etiam alibi ὁ Θεός ut Marc. 15, 34. Rom. 8. 14. Gal. 4, 6. Matth. 27. 29. Etenim si hic Vocativi essent, dicendum ὁ πατέρ, ὁ βασιλεῦ &c. ita testantur omnes Græci Grammatici, quo-

7120

rum barbam vellere est nimis temerarium. Tandem contra naturam est omnium linguarum, in quibus articuli usurpantur. Inde assumunt adverbium exclamandi δ , praefer orientales qui habent interdum. Vid. Philoponus de dialectis memore 18. Gaza, Corinthus, Lascaris, & Henricus Stephanus in animadv. in Philoponum. Exempla allegata omnia sunt tam manifesta, ut si nomen detur Vocativi casus cum Articulo quoad terminationem, non quoad significationem, aliquid probabilitatis assertio mereretur.

II.

An rectè dicatur jugum suave? \mathcal{R}

Non videtur, quia habetur in græco $\chi\rho\eta\sigma\acute{o}\varsigma$, quod significat utile, commodum & frugale primario secundum Glossam Philoxeni: siquidem deducitur à verbo $\chi\rho\eta\sigma\acute{o}\mu\alpha\iota$, quod propriè uti significat. Verum $\chi\rho\eta\sigma\acute{o}\varsigma$ etiam suave significare patet 1. ex Gregorio, quem allegat Budæus, ubi de medicinâ loquitur, quod sit $\Phi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\ \tau\omicron\mu\acute{\epsilon}\nu\eta\tau\omicron\iota\varsigma\ \chi\rho\eta\sigma\acute{o}\lambda\acute{\epsilon}\rho\omicron\iota\varsigma$ admixta suavioribus. 2. Tertullianus adversus Marcionem l. 4. ista verba $\acute{o}\tau\iota\ \alpha\upsilon\tau\acute{o}\varsigma\ \chi\rho\eta\sigma\acute{o}\varsigma$ interpretatur his verbis: quod ipse sic sua-

vis. Sic Psalmo 33. ubi septuaginta habent ὄτι
χρησὸς. vetus interpres transtulit quoniam sua-
vis est Dominus. 3. Dionysius Rex χρησὸς
appellatus διὰ τὴν ὑπαρότητα καὶ ἡμυρότητα,
ut loquitur Memnon apud Plotium propter
mansuetudinem & hilaritatem. Unde recte
Lucherus videtur transtulisse, Mein Joch ist
sanft | nempe 1. propter gratia cooperatio-
nem: Tantum quippe Spiritu Sancto accen-
ditur renatorum voluntas, inquit Augustinus,
de corrept. & gratia cap. 12. ut ideò sic possint,
quia sic velint: & ideò sic velint, quia DEUS
operatur ut velint, 2. propter jugi Christi
participationem, quia suave & honorificum e-
dem jugum portare quod Christus, quemadmo-
dum ob id letati Apostoli Act. 1. 41. 3. pro-
pter abbreviationem, quia uti ex remissione tri-
bulatio facta, inquit Chrysost. Hom. 4. ad po-
pulū Antioch. 1. sic ex tribulatione remissionem
expectare convenit. 4. propter aeternam mer-
cedis retributionem, Rom. 8. 18. Siquidem im-
mensum, uti habet Chrysost. l. 1. de compuncti-
one cordis, gloria futura pondus levem facit pre-
sentis temporis tribulationē, & Spiritus S. quae
verba sunt Augustini de verbis Domini serm. 9.
In spe beatitudinis futura omnia praesentia aspe-

ra delinit & omnia gr̄avia relevat. Et sic ita
suavitas in se continet utilitates multas, consen-
tit, quod habet 1. Iob. 1. 3. Paucis grave est iugum
carni, suave spiritui; cui etiam onus le-
ve, ubi vox ἐλαφρὸν idem innuit, qua in eadem
sententiā etiam utitur Pindarus Pith. od. 2.
quod Juvencus l. 2. hist. Evang. versu 570. ita
exprimit:

Sumite forte iugum levis est mea sarcina justis;

Namq; humili dulcem largiunt corde salutem.

Et Sedulius l. 1. op. Pasch. 283.

Cujus onus leve est, hujus iuga ferre suave.



AD RESPONDENTEM,

Fungus erat ruffus Judas cremiumq; ge-
hennæ,

Excidit ut propriā sorte fideq; suā.

Asserit hoc Petrus, quia vaticinatus id ipsum

Vates, quod factus trux homicida sui.

Pro mercede sibi qui sanguinis emit agellū,

Ruptus & effudit viscera cuncta cadens.

Scilicet id vates prædixit: Episcopus ergo

Alter erit, domus ac Ejus cremus erit.

Ejus & in numerum, ne fungus inutilis, alter,

Petrus ait, precibus jure legendus erit.

Qui

Qui conversatus cum Christo tempore totol
Ne novus, in cœlis usq; receptus abit.
Orant inde Deum! Deus & sibi eligit unum,
Et dat Matthiæ judice sorte locum.
Ista refert Lucas; repetit REISINGIUS. unâ
Pergat! munus ei forsq; Deusq; dabunt.
Ordine tunc laudes dicesq; canesq; Jehovæ;
Ordine quo possis nunc cane dona DEI.

Quod optat

GUBINZIUS.

R Umpe laboriferis, Patria Spes, otia Musis
Inclyta, Pierij Gloria justa chori.
Scandè Ministerij pratenta Sacraria sacri,
Et preme purpureâ tempora celsa mitrâ,
Palla pedes obeat, se velet Epomide pectus,
Et nitidâ corpus rideat acre stolâ.
Hæc sacra, dum cyclicum tua Disquisitio mundum
Leta subit, mundi præmia juncta meret.
Sic ait, & Cleio reparans emblemata florum
Intuit in sacram pollice plura mitram.
Ac ait ostentans: cernis REISINGE? labores
Rumpentem sacros præmia tanta manent;

CASPAR ALEXANDRI.

F I N I S.

Instandsetzungsschein

ersten und letzten Lagen des Buchblocks
den in siedenden Bädern gereinigt und ge-
tigt. Mürbe und zerissene Teile des Papiers
den ausgebessert.

Bucheinband wurde originalgetreu wieder
gestellt.

ULB Halle

006 386 679





3

Gabriele Grauer

Halle, den 8.10.1970

Th. 4968






B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



8

7

6

5

4

3

2

1

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

DELICIARUM.
STOLICARUM
 FESTIVALIUM
Exercitatio Octava
 PRÆSIDE
CHRISTIANO GUEINZIO
 Rectore Gymnasij Hallensis
Respondente
HENRICO REISINGIO
 Schlaiza - Varisco
 In:
ESTO MATTHIÆ,
 CIO. DC. XLIIII.
 HALLIS-SAXONUM.
 Typis Christophori Salfeldi.

